



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sponsalia Et Matrimonium**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Ingolstadii, 1726**

Titulus XII. De Cognatione legali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75229)

tionem naturali *c. debitum cit.* solum comparatur quoad distinctionem personarum, quæ ad utramque est necessaria; Legali autem quoad vim conjugij dirimendi: de cætero lata est disparitas, cum naturalem natura, Legalem Lex per Procuratorem contrahi specialiter vetet; quod non fit in Cognatione Spirituali, cum istam per Procuratorem contrahi non prohibeant SS. Canones, & approbet consuetudo. *Ad 3.* Negatur paritas; nam qui ex Parochi commissione Baptismum confert, eundem confert nomine non committentis, sed proprio, & ut Minister Christi; contra Procurator, è Baptismo infantem levans, eundem levat non suo, sed Principalis mandantis nomine, ut rectè observat Perez *D. 29. de Matr. sect. 7. n. 4.*

97 *Quæritur 13.* Quis Cognationem Spiritualem contrahat, quando Communitas aliqua munus Patrini per Procuratorem obit? *Certum satis est,* quod hoc casu eam Cognationem non contrahat Communitas, ut Communitas, vel Universitas est; quia cum sit tantum persona ficta, & incerta, ipsa est huius Cognationis experta. Similiter ex dictis à *n. 93.* patet, eo casu Cognationem etiam non contrahi à Procuratore, si hic tantum levare intendat nomine Communitalis, & non proprio. Quare Abb. in *c. 6. b. tit. n. 5.* putat, hoc casu Cognationem

contrahi à singulis de communitate, quod dispositio, concepta in Universitate, quando actus Universitati competere nequit, resolvatur in singulos illius Universitalis, ut res non pereat *c. si sententia. 6. de Sent. Excomm. in 6.*

Sed verius est, nec singulos contra here; quia ex una parte juxta dicta *n. 81.* ex Decrero Trid. non admittuntur plures Patrini, nisi unus, & una; ex altera verò parte etiam casu, quo plures concurrunt, tantum illi, qui tenent, & levant, Cognationem contrahunt, igitur singuli de communitate Cognationem contrahere nullatenus poterunt. Cum igitur secundum dicta *n. præc.* neque Procurator hoc casu Cognationem Contrahat consecræneum, erit, eam cognationem in casu dato contrahi à nemine. Quod ne fiat contra SS. Canonum statuta, aut nunquam in Patrino eligi communitas poterit, aut si designetur, ab ea constitui aliquis determinatus debet, qui baptismatum levat nomine proprio, sed jussu communitatis.

Neque obstat textus ab Abbate allegatus; quia ut Alex. de Nevo *l. cit.* & cum eo Sanch. *D. 59. cit. n. 7. fin.* responderet, textus ille loquitur in delictis, ne delictum maneat impunitum, & sententia careat effectu.

## TITULUS XII.

### De Cognatione Legali.

## S U M M A R I U M.

1. Cognatio Legalis inventa est à Legibus, approbata per SS. Canones.
2. Adoptionis definitio.
3. Divisio in perfectam, & Imperfectam.
4. Effectus.
5. 6. Differentia inter Perfectam, & Imperfectam.
7. 8. 9. Conditiones ad Adoptionem requisite.
10. Modi, quibus dissolvitur.
11. 12. Definitio Cognationis Legalis & triplex ejus Species.
13. 14. 15. Omnes hæ Species inducunt impedimentum dirimens Matrimonium.
16. Sc. Quod tamen solum inducitur per Adoptionem perfectam, seu Arrogationem.

23. 24. Dirimit Matrimonium solum Jure Ecclesiastico, & quidem contrahendum tantum.
25. Non autem contractum, etiam quoad petitionem debiti.
26. In Linea recta est perpetuum.
27. In Transversali, soluta Adoptione, tollitur.
28. Cognatio hæc per modum Affinitatis inducitur, manet semper.
29. Sc. Ad quos Gradus Matrimonium dirimit?
31. Sc. Inter quas personas Contractui Matrimoniali non obstat?
35. 36. An Impedimentum Cognationis Legalis oriatur etiam ex Unione prolium?
37. Quis dispensare in Cognatione Legali possit?

1 **A**ltera Cognationis Species est Cognatio Legalis, ita nuncupata, quia originem suam Legibus Civilibus debet §. ergo non omnes 1. & §. inter eas 2. *Inst. de Nupt. l. adoptivus 14. l. per adoptionem 17. l. quin etiam 55. ff. de rit. Nupt.* Porro Leges istæ approbatæ sunt etiam à Jure Canonico *can. ita diligere 1. c. post susceptum 5. caus. 30. q. 3. & c. un. b. tit.* Originem suam Cognatio hæc Adoptioni debet. Et hinc

*Quæritur 1.* Quid sit Adoptio? *n. 2.* est actus legitimus, per quem is, qui naturaliter non est, assumitur in filium, aut nepotem, ita S. Thom. in 4. dist. 42. q. 2. art. 1. Sylv. *Y. adoptio n. 1.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 61. n. 1.* Gutier. *c. 102. de Matr. n. 2.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. n. 7. princ.* Palao *tr. 28. D. 4. p. 9. n. 3.* Wagnereck in *c. un. b. tit. not. 1.* Engl *hic n. 1.* Pirhing *n. 1.* Wiestner *n. 2.* Reiffenstuel *n. 2.* & alij passim. Assumptio-

si huic occasionem dedit orbitas liberorum, cui ut succurreretur, apud plerasque Gentes receptum est, ut qui liberos ex se non haberent, ex alienis deligerent, sicque quod natura negavit, suppleretur Legali invento; nam sic assumpti perinde habentur, ac si procreati fuissent ex uxore propria *l. filiofamilias 1. pr. & l. si is, qui filium 11. ff. de Adoption.*

Quæritur 2. Quotuplex sit Adoptio? R. est duplex, una Perfecta, altera Imperfecta. *Adoptio Perfecta*, quæ etiam *Arrogatio* dicitur, est, quæ persona extranea, quæ sui Juris est, rescripto Principis transit in potestatem, & familiam adoptantis, ita, ut ipse non minus, ac filij naturales, hæres adoptantis necessarius ex Testamento in quarta parte bonorum fiat *§. cum autem 3. Inst. & l. Impuberem 2. C. de Adoption. Adoptio Imperfecta*, quæ etiam *Simplex*, in specie, seu *Specificæ* appellatur, quæ persona extranea, quæ non est sui juris, sed in potestate, & familia patris, vel avi sui naturalis consistit, & manet, ab aliquo Judicis cujuscunque competentis autoritate assumitur in filium, aut nepotem, quin in ejusdem potestatem, & familiam transeat: & propterea non fit adoptantis hæres necessarius ex Testamento, licet eidem ab intestato succedat *§. adoptio 1. & §. seq. Inst. de Adoption.*

Dixi *Extranea*, i. e. talis, quæ non est in adoptantis potestate, sive sit consanguinea, sive non. Interest autem, an quis in adoptionem tradatur extraneo, an non extraneo; nam si filiusfamilias à patre naturali extraneæ personæ in Adoptionem (intellege, simplicem) datur, jura Patris naturalis, ut paulò antea dictum est, minimè dissolvuntur, nec quidquam ad patrem adoptivum transit, nec in potestate ejus est adoptatus. Contrà si pater naturalis non extraneo, sed avo filij sui materno, vel si ipse pater naturalis fuerit emancipatus, etiam avo paterno, vel proavo simili modo paterno, vel materno filium suum dederit in adoptionem, tum adoptatus transit in potestatem patris adoptivi; quia hoc casu in unam personam conveniunt & naturalia Cognationis, & Civilia Adoptionis jura *§. sed hodie 2. Inst. de Adopt.*

Quæritur 3. In quibus Arrogatio, & Adoptio simplex differant? R. Sanch. *l. 7. de Matr. D. 63. n. 2.* quintuplicem affert differentiam, 1. differunt, quia per simplicem adoptionem adoptatus non transit in potestatem adoptantis, nec fit hæres ejus necessarius ex Testamento, bene tamen ab intestato; at per Arrogationem transit in potestatem arrogantis, instar filij naturalis, & est hæres ejus necessarius ab intestato, ex testamento autem in quarta bonorum parte *§. sed hodie 2. Inst. de Adoption.*

2. Adoptari potest, qui non est sui juris, ut filius sub potestate patris constitu-

tus: at arrogari nequit, nisi qui sui juris est nempe emancipatus, & liber homo; quia cum per Arrogationem tradatur quispiam in arrogantis potestatem, oportet eum esse sui juris, ut tradere se valeat *l. generalis 2. ff. de Adoptionib.*

3. Adoptio fit cujuslibet Judicis competentis autoritate, dum tamen apud eum plena sit actio, i. e. merum, & mixtum imperium *l. hi qui 1. C. de Adoption.*

4. Arrogator tenetur satisfacere de restituendis bonis arrogati illis personis, ad quas essent perventura, si arrogatus in suo statu permansisset *l. nec ei 17. §. fin. ff. de Adoption.* quæ satisfactio in Adoptione non requiritur, cum per eam adoptatus maneat in statu pristino.

5. In Adoptionibus non requiritur verbum utriusque expressum: at in Arrogatione requiritur verbum utriusque; desideratur enim, ut Princeps, cujus autoritate fit Arrogatio, interroget arrogatum, an velit habere hunc in patrem, avum, vel proavum, & postquam responderit *Volo*, idem Princeps exprimat sibi placere *l. generalis cit.* & propterea infans adoptari potest, arrogari non potest, Sanch. *n. 2. cit.*

Quæritur 4. Quæ conditiones requirantur, ut ritè fiat Adoptio? R. Secundùm Leges requiritur 1. ut adoptans sit masculus; nam femina adoptare non possunt, nisi ex speciali concessione Principis *§. femina 10. Inst. de Adoption.* ubi ratio additur; quia nec naturales liberos in sua potestate habent. Sanch. *l. 7. de matr. D. 63. n. 3.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 7. pr.* Palao *tr. 28. D. 4. p. 9. n. 40.* Reiffenstuel *hic n. 3.*

2. Ut ex natura sua sit potens ad generandum *§. sed illud 9. Inst. eod.* Unde Spadones adoptare non possunt: bene tamen Sacerdotes, utpote qui non naturâ, sed per accidens tantùm, & moraliter inhabiles sunt ad generandum. Abb. *in c. un. b. tit. n. 4. Hofst. n. 4. Sanch. Laym. Pal. cit.*

3. Ut ita excedat ætate adoptatum, ut etiam hac spectatâ, hic ipsum habere possit pro patre, quòd ista liberorum adoptio ad similitudinem generationis carnalis introducta fuerit, imò ex dispositione Juris adoptans adoptatum debuit plena pubertate, i. e. octodecim annis præcessisse *§. minorem 4. Inst. eod. Sanch. Laym. Palao, Reiffenstuel l. cit.*

4. Ut sit sui juris, & major 25. annis; quia alias nondum habet administrationem suorum bonorum. DD. *cit.*

5. Ut persona extranea, cum adoptatur, sit præsens adoptanti, & in Adoptionem consentiat; quia absens nec adoptare, nec adoptari potest, etiam per Procuratorem *l. neque 24. & l. seq. ff. de adopt.*

6. Ut in Arrogatione Principis, in Adoptione alterius saltem inferioris Magistratus autoritas, cogitatio causæ, an expediat

pediat pupillo arrogatio, & alia interveniant, quæ præscribuntur §. *cum autem Inst. de Adopt. l. generalis 2. ff. & l. fin. C. eod.* Ex quo sequitur, adoptatum, & legaliter Cognatum non habendum aliquem ex eo solo, quòd forsan ex misericordia in defectu priorum parentum tanquam filius alimentetur. *Englbich. 6.*

**10** Quæritur 5. Quinam adoptari possint, & quomodo solvatur Adoptio? *R.* adoptari potest quilibet, sive masculus, sive fœmina, modò sit præsens; nam per procuratorem adoptari nemo potest. *l. post mortem 25. §. neque 1. ff. de Adopt.*

Solvitur Adoptio sex modis. 1. Morte naturali adoptantis. 2. Morte ejus Civili. 3. Ob Nuptias incestuosas. 4. Ob Dignitatem, e. g. Episcopalem. 5. Per Sententiam. 6. Per emancipationem.

Hæc latâ, & accuratâ discussione prosequuntur Juris Imperialis Interpretes ad *Rubricam cit. ff. C. & Inst.* nobis prælibâsse sufficiat ista, & dixisse tantum, quantum requiritur ad cognoscendam naturam Cognationis Legalis: de qua ulterius.

**11** Quæritur 6. Quid sit Cognatio Legalis, & quæ ejus species? *R.* Cognatio Legalis est proximitas, seu propinquitas personarum, proveniens ex adoptione: per quæ ultima verba distinguitur à Cognatione Spirituali, quæ oritur ex collatione, & susceptione Baptismi, & Confirmationis; & à Cognatione naturali, quæ exurgit ex unitate, & participatione sanguinis.

Species ejusdem tres à DD. referuntur. Prima in Linea recta inter adoptantem, & adoptatum, ejusque descendentes, si hi in potestate illius sint; nam isti loco parentum, & liberorum sunt: & hinc *l. quin etiam 55. pr. ff. de rit. Nupt.* nefas existimatur, eam ducere uxorem, quæ per adoptionem filia, præsiye esse cœperit: cui consonat §. *ergo non omnes 1. §. & hæc adeo Inst. de Nupt. & can. ita diligere 1. caus. 30. q. 3.*

**12** Secunda in Linea transversa inter adoptatum, & filios naturales adoptantis *l. per adoptionem 17. ff. de rit. nupt. & §. inter eas 2. Inst. de nupt.* ex quo *c. un. b. tit.* translata verba sic habent: *Si qua per adoptionem militi soror esse cœperit, quamdiu durat adoptio, inter me, & ipsam nuptiæ consistere non possunt.*

Tertia per modum Affinitatis inter adoptantem, & uxorem adoptati, & è converso inter adoptatum, & uxorem adoptantis *l. adoptivus 14. ff. eod.* ubi in principio Paulus, adoptivus filius, inquit, si emancipetur, eam, quæ patris adoptivi uxor fuit, ducere non potest; quia novercæ locum habet: Item §. *siquis 1. addit, Siquis filium adoptaverit, uxorem ejusdem, quæ nuris loco est, ne quidem post emancipationem filij ducere poterit; quoniam aliquando nurus ei fuit.*

Quæritur 7. An omnes hæc species Cognationis Legalis Matrimonij contrahendis obtent? Facile convenit inter DD. duabus prioribus induci Impedimentum, & quidem dirimens Matrimonium propter *can. ita diligere 1. caus. 30. q. 3. can. post susceptum 5. q. cit. & c. un. b. tit.* Neque obstat, quòd in *can. ita diligere cit.* Pontifex solum dicat, Leges Civiles non permittere inter hujusmodi Cognatos Matrimonium, quasi innuat aliud esse secundum Canones; quia, ut *Sanch. D. 63. n. 23.* notat, id ait Pontifex ad denotandum, quòd impedimentum hoc fuerit Legibus Civilibus inductum, quas ibi approbat, vocans eas *veneras.*

De postrema Specie id aliqui, ab *Hofst. c. un. b. tit. n. 3.* suppressis nominibus relati, negant, ex ratione, quòd Jus Canonicum, à quo solo possunt Matrimonij impedimenta promanare, ejus Cognationis non meminit. Sed hoc non obstat, cum Tituli Rubrica sit generalis, adeo, ut meritò censeferi possint per eam Leges, à quibus Cognatio ista, & ortum inde impedimentum inductum est, fuisse confirmatæ etiam quoad tertiam hanc Speciem. Hinc dicendum, omnes tres Cognationis Legalis species vim habere Matrimonij dirimendi. Ita *Hofst. l. cit. Joan. Andr. ibid. n. 5. Ant. de Butrio n. 6. Ancharan. n. 5. Alex. de Nevo n. 9. Sanch. D. 23. cit. n. 12. & duob. seqq. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. contr. 4. n. 2. Pirhing hic n. 7. Wiestner ibid. n. 7.*

Ratio est, quia eadem est omnium trium specierum, & impedimenti ex his exorti ratio, videlicet periculum incontinentiæ, & libidinum, in quas facile prolaberentur sic conjuncti Cognatione Legali, si periculum hoc, quod specialis amor, conjunctio, & familiaritas inter eosdem causat, non tolleretur, præsciendò spem conjugij, inter ipsos coalituri. Accedit, quòd omnes istæ tres species Cognationis Legalis generali consuetudine Ecclesiastica sint receptæ, & approbatæ; conf. æqualiter vim dirimendi Matrimonium inde acceperint.

Quæritur 8. An Impedimentum istud inducat Cognatio Legalis orta ex Adoptione solum perfecta, quæ est Arrogatio, an etiam, quæ oritur ex adoptione imperfecta, seu Simplici? Quòd oriatur Impedimentum istud ex cognatione, quæ nascitur ex adoptione perfecta, concedunt omnes *ob l. adoptivus 14. pr. & l. seq. ff. de rit. nupt. can. ita diligere 1. can. per adoptionem 6. caus. 30. q. 3. & c. un. b. tit.*

Dissentiunt quoad cognationem Legalem, quæ oritur ex adoptione imperfecta. Affirmant *Gloss. in c. un. cit. fin. Abb. n. 5. Ancharan. n. 2. Alex. de Nevo n. 11. Henric. de Boich. n. 5. Angel. Matrimonium 3. imped. 8. n. 4. Covar. p. 2. de Spon.*

*Sponsal. c. 6 §. 5. n. 2. Castra repet. can. ad l. mina 30. q. 1. §. 4. q. 155. n. 404. Tolet. l. 7. summ. c. 4. n. 1. Pont. l. 7. c. 41. pr. Gutier. c. 102. de Matr. n. 5. Hurtad. de Matr. D. 19. difficult. 2. n. 3. Palao tr. 28. D. 4. p. 9. n. 9. Barbol. in Rubr. b. tit. n. 5. Gonzal. in c. un. eod. n. 10. su. Clericat. de Sacr. Matr. decis. 28. n. 27. §. seq. Honor. hic n. 7. Reiffenstuel ibid. n. 10.*

<sup>18</sup> *Nituntur 1.* Quia textus utriusque Juris indistinctè loquuntur de adoptione in ordine ad præsentem materiam de impedimento Matrimonij; ergo possunt, imò debent intelligi etiam de adoptione simplici, cum nostrum non sit Leges generaliter loquentes distinguere, & limitare arg. l. di. *stinguemus 32. ff. de recept. qui arbitr. & l. de pretio 8. ff. de Publician. in rem action. 2.* si adoptio simplex excipienda esset, excipienda foret ob hanc rationem, quia ipsa solum est imperfecta adoptio; atqui hæc ratio nil evincit; nam Imperfecta dicitur, non, quòd non sit vera, & propriè dicta adoptio, sed quia comparativè ad perfectam est minus perfecta; ergo &c. <sup>3.</sup> Licet consanguinitas, resultans ex linea obliqua, sit minus perfecta, quàm ea, quæ oritur ex linea recta ascendentium, & descendentium, tamen etiam prior affert impedimentum dirimens Matrimonij; ergo licet adoptio simplex sit minus perfecta, quàm Arrogatio, æqualiter tamen & ipsa dirimet Matrimonium.

<sup>19</sup> Verùm etsi sententia ista sit admodum probabilis, tenenda tamen, tanquam probabilior est negativa, quam etiam defendunt Innoc. in c. un. b. tit. Sylv. *V. Matrimonium 8. q. 8. dist. 4. Sot. in 4. dist. 42. q. 2. art. 2. ad fin. Corp. Petr. de Ledelm. de Matr. q. 57. art. 2. concl. 2. Henric. l. 12. de Matr. c. 12. n. 3. Sanch. l. 7. de Matr. D. 63. n. 9. Tanner. tom. 4. D. 8. q. 4. dub. 4. n. 74. Cofink D. 32. de Sacram. u. 44. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 7. n. 3. Dian. p. 4. tr. 4. resol. 120. Henr. Mayr de Sponsal. n. 103. Henric. Canis. in c. un. b. tit. n. 3. Wex Ariad. p. 5. tr. 2. contr. 4. n. 9. §. seq. Zæf. hic n. 2. Engl. n. 3. Pirhing. n. 4. Schambog. n. 4. König. u. 9. Wiertner. n. 9. §. 10. Magnif. P. Schmier. p. 3. de Matr. c. 3. n. 283. §. seqq.*

<sup>20</sup> *Ratio est 1.* quia Impedimentum hoc Cognationis Legalis, ut n. 15. dictum est, inductum est ad vitandam fornicationem, quæ facile fieri posset inter personas, in eadem domo commorantes, atqui periculum istud cessat in Adoptione simplici, cum per eam adoptatus non traducatur in domum, & potestatem adoptantis. <sup>2.</sup> Jura Juribus concordanda sunt ad vitandam correctionem Jurium, quando ista vitari potest; optimè autem concordantur, si dicatur, Impedimentum istud induci solum Cognatione Legali orta ex Arrogatione, subjiciente adoptatum potestati adoptantis; nam

de hac clarè satis loquuntur textus *l. adoptivus 14. l. per adoptionem 17. l. quin etiam 55. §. patris 1. ff. de rit. nupt.* ergo de hac etiam ceteræ Leges, & ipsi Canones, dum Cognationem Legalem, Jure Civili introductam, approbant, intelligi debent. <sup>3.</sup> Matrimonium est res admodum favorabilis *c. fin. de sent. §. re judic. c. directæ 39. de Appell. & c. fin. de condit. appof. & hinc Jura id prohibentia, & irritantia, quando ambiguus eorum sensus est, restringi potius, quàm extendi debent Reg. odia 15. in 6.* restringentur autem, si Canones, & ipsæ etiam Leges Civiles recentiores, agentes de Cognatione orta ex Adoptione, & huic annexo connubiorum obice, secundum Leges Pandectarum antiquiores intelligantur de Arrogatione; ergo &c.

Et hoc ita verum est, ut ex Adoptione simplici ne quidem oriatur Impedimentum impediens, conf. inter personas ita conjunctas licitè contrahi Matrimonium possit. Ita Sanch. *l. cit. n. 10.* cum alijs *suprà*, contra quosdam alios, qui contrarium collegerunt ex paritate cum Catechismo; nam Adoptio imperfecta est via, & dispositio ad Perfectam, sicut Catechismus ad Baptismum: ex quo intulerunt, ergo sicut ex Catechismo Baptismi oritur quædam Cognatio spiritualis imperfecta, quæ impedit Matrimonium, ita & per Adoptionem imperfectam contrahetur Cognatio Legalis imperfecta. Sed revera non est paritas; quia in Catechismo adest expressus textus id decidens, non autem in Adoptione imperfecta: nec potest ex rationis similitudine induci Impedimentum impediens; alias dicendum esset, ex solo Exorcismo oriri Cognationem Spiritualem imperfectam, eò quòd & ipse sit dispositio ad Baptismum. *Neque obstat*, quòd etiam in Adoptione simplici adoptatus dicatur filius, & adoptans pater: sicque Matrimonium inter illos videatur repugnare Honestati; quia hæc honestatem specialem non attenderunt Jura in ordine ad effectum dirimendi Matrimonium, vel illud impediendi, ut bene advertit, & probat P. Wex *l. cit. n. 12.*

Ad Argumenta n. 18. allata non difficilis patet responsio. <sup>21</sup> *Ad 1.* etsi Jus Canonicum non distinguat inter Arrogatum, & Adoptatum simpliciter, sufficit tamen, quòd ratio Juris distinguat, quæ est cohabitatio. Accedit, quia Jus Canonicum in eo sensu ceteri debet approbasse Cognationem Legalem, & Impedimentum ex ista ortum, in quo sensu introductum illud est per Leges Romanas; atqui Impedimentum hoc per Leges Romanas *l. adoptivus. l. per adoptionem. l. quin etiam citt.* introductum duntaxat est ratione adoptionis perfectæ, quæ adoptatus potestati adoptantis subjicitur; ergo &c. *Neque obstat*, quòd etiam Leges Civiles recentiores utantur termino ge-

nerali *Adoptio*; nam ut *n. 20.* dictum est, hæ ipsæ Leges ad evitandam correctionem Jurium ab antiquioribus Legibus, utpote quæ magis expressis verbis utuntur, lucem, & interpretationem accipiunt. *Ad 2.* Imprimis Simplex, & imperfecta *Adoptio* non est simpliciter, & omnino propriè dicta *Adoptio*, nisi adoptans sit avus paternus, vel maternus. Deinde esto, sit *Adoptio* propriè dicta, talis tamen non est, de qua loquuntur Leges, quando agunt de Cognatione Legali, ut impediende *Matrimonium*, quippe quæ secundum dicta intelligi solum de *Arrogatione* debent. *Ad 3.* Negatur paritas; nam quoad *Consanguinitatem* etiam pro linea obliqua habemus apertos textus Juris utriusque, ut notum est; at pro *Adoptione* simplici imperfecta in ordine ad *Matrimonium* dirimendum hujusmodi textus clarus, & indubitatus nullus afferri potest. Tribuitur quidem in Jure etiam adoptatis simpliciter potestas succedendi ab intestato sed ex potestate ista vis dirimendi, vel impediendi *Matrimonium* non inferitur, cum etiam alij succedant sibi invicem ab intestato, inter quos tamen consistere *Matrimonium* potest, quales sunt Agnati, & Cognati quinti, & ulterioris gradus, præmortuis propinquiioribus.

*Quæritur 9.* Quo Jure *Arrogatio*, seu *Adoptio* perfecta dirimat *Matrimonium*? *n. defacto*, postquam *Matrimonij* contractus inter fideles elevatus est ad rationem Sacramenti, dirimit solum Jure Ecclesiastico, quo approbata sunt Leges Civiles, per quas primitus inductum fuit hoc Impedimentum nam sine hac approbatione Leges Civiles id inducentes attendi non deberent, cum connubialis contractus per eandem elevationem sit extractus ex potestate laicali. Atque hinc si apud Infideles hæc *Adoptio* fieret, & ea non obstante iniretur *Matrimonium* inter adoptantem, & filiam adoptivam, illud omnino validum foret, nisi speciali illorum Lege irritaretur; quia illi Ecclesiæ Legibus minimè subduntur; & ideo hujusmodi conjuges post conversionem ad fidem non forent separandi, Sanch. *l. 7. de Matr. D. 63. n. 22.* & ab eo cit.

*Porro* sicut *Matrimonium* *Adoptio* hæc dirimit, ita etiam dirimit *Sponsalia* de futuro, sive illa præcedat, sive subsequatur; quia *Sponsalia* sunt promissio futuri *Matrimonij*, quæ non amplius impleri potest, superveniente Impedimento dirimente: unde necesse est illa dissolvi profus. Sanch. *n. 20.* Alio est ratio de *Matrimonio* contracto per verba de presenti; nam hoc, superveniente Impedimento dirimente, non dissolvitur.

*An* verò eo casu sic cognati impediuntur à petitione debiti, controversia moveri potest: & ratio dubitandi est; quia omne Impedimentum, quod dirimere *Matrimonium*, si contractum ejus præcederet,

contractum illius subsequens istud dirimit secundum quid, nimirum impediendo ejusdem usum quoad debiti exactionem, juxta doctrinam Sylv. *V. Matrimonium s. q. 7. dist. 2.* Verum eam doctrinam non approbat Sanch. *n. 19.* nisi textus expressus inveniat, qui interdicit eo casu petitionem debiti. Hinc quia in Cognatione Legali hujusmodi textus non invenitur, putat eam, si *Matrimoniali* contractui superveniat, non impedire petitionem debiti.

*Quæritur 10.* An Cognatio Legalis perpetuò, vel si non perpetuò, quamdiu dirimat *Matrimonium*? *n.* distinguendo inter tres species Cognationis Legalis; nam prima in perpetuum dirimit *Matrimonium*, ita, ut Impedimentum, ex illa ortum, duret, & adoptans filiam adoptivam nequeat in uxorem ducere, etiamsi per emancipationem *Adoptio* sit soluta *can. ita diligere 1. caus. 30. q. 3. S. ergo non omnes Inst. de Nupt. l. per adoptionem 17. ff. de rit. nupt. Silv. V. Matrimonium s. q. 3. dist. 2.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 63. n. 24.* Conink *D. 32. de Sacram. n. 43.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 7. n. 3.* Pal. *tr. 28. D. 4. p. 9. n. 11.* Vivian. *in c. un. b. tit. pr. Barbof. ibid. n. 3.* Gonzal. *n. 9.* Canif. *hie n. 4.* Vallenf. *n. 2.* Zoef. *n. 3.* Honor. *n. 4.* Pirhing *n. 5.* Engl. *n. 5. v. igitur.* Schambog *n. 6.* König *n. 11.* Wiestner *n. 11.* Reiffenstuel *n. 5.* Ratio est, quia etsi emancipati gradum Liberorum amittant, nec ullum ex pristino vestigium retineant, ut habetur §. minus *ergo 11. Inst. de Hered. quæ ab intest. & l. in omni 13. ff. de Adoptione.* manet tamen ratio honestatis, quæ uxorem non paritur esse illam, quæ per adoptionem filia esse cepit, vel neptis §. *ergo non omnes cit.*

*Secunda*, quæ inter Liberos adoptantis naturales, & adoptivum contracta est, *Matrimonium* inter ipsos tamdiu solum dirimit, quamdiu durat adoptio. Sanch. *n. 24. cit.* Conink *n. 43. v. rursus.* Palao *n. 15.* Vivian. *l. cit. v. quoniam.* Barbof. *n. 2.* Gonzal. *n. 3.* §. 10. Vallenf. *n. 3.* Zoef. *n. 5.* Honor. *n. 6.* Reiffenstuel *n. 6.* cum reliquis *suprà.* Sumitur ex *can. post susceptum 5. caus. 30. q. 3.* & clarior ex *c. un. b. tit.* Ex quo sequitur, quòd pater filiam suam adoptivam, si illam emancipet, & conf. patria potestas in illam cesset, tradere in uxorem filio suo naturali & legitimo possit *can. per adoptionem 6. q. cit.* Laym. *l. cit.* Canif. *n. 2.* Gonzal. *n. 10.* Schambog. *n. 6.* Ratio est, quia soluta per emancipationem patria potestate, adoptatus, & filia naturalis adoptantis desinit esse frater, & foror, & adoptatus incipit esse extraneus *l. quia etiam cit. in fin.* Debet tamen in dissolvenda per emancipationem adoptione observari solennitas Legibus præscripta; sicut enim adoptio sine autoritate Magistratus contrahi nequit, ita nec dissolvi, cum juxta *Reg. omnis 1. de R. J.*

Omnia res, per quasunque causas nascitur, per eandem dissolvatur.

28 Tertia denique Species Cognationis Legalis, quæ per modum affinitatis, ut dixi, contracta est inter adoptatum, & adoptantis uxorem tanquam inter privignum, & novercam, & vicissim, tanquam inter focerum, & adoptati uxorem, quam sibi invicem debent nurus focero, & novercæ privignus, quorum instar sunt per adoptionem.

29 Quæritur 11. Quousque, & ad quos gradus extendatur Impedimentum Cognationis Legalis inter adoptantem, & adoptatum, ejusque descendentes? 1. de hoc nihil certi in Jure haberi potest: & propterea discordant DD. nam Sanch. l. 7. de Matr. D. 63. n. 34. qui pro se allegat S. Thomam, D. Antoninum, Sylvestrum putat Impedimentum hoc protrahi in infinitum, adeo, ut adoptans cum nullo ex descendentes adoptati contrahere Matrimonium possit. Rationem dat, quia adoptatâ aliquâ personâ, censetur adoptati filij, & descendentes omnes. Excipit eos, qui tempore adoptionis erant extra potestatem adoptati; nam cum his nullam contrahit adoptans Cognationem Legalem, conf. nec Impedimentum Matrimonij.

30 Contra alij cum Soto, Navarro, Toletio, Sâ, Valentia, Philiarcho, Petra de Ledesma apud eundem Sanch. n. 32. volunt solum Matrimonium dirimi inter adoptantem, & adoptatum, hujusque descendentes usque ad quartum gradum arg. cap. non debet 8. de Confang. quo ad eum gradum restrictum est Impedimentum Confanguinitatis, & affinitatis. Verum hæc ratio non multum probat; imprimis enim eo textu solum restrictum est impedimentum Confanguinitatis in linea transversa. Deinde diversa Confanguinitatis, & Cognationis Legalis est ratio; nam Impedimenta Confanguinitatis, & Affinitatis sunt frequentissima, Impedimentum Cognationis Legalis autem rarissimum, ut adeo ratio fuerit restringendi illa, non istud. Et hanc ob causam videtur probabilior Sententia prior.

31 Sed quidquid sit, non est necesse multa circa hoc disquisitione; quia ultra gradum quartum descendendum à filio adoptivo adoptans non viveret, & hinc periculum non est, ne in gradu prohibito contrahat Matrimonium. Solum hic noto, plures esse personas, inter quas, etiam stante Adoptione, consistere Matrimonium potest.

Et 1. quidem consistere, Adoptione durante, potest Matrimonium inter adop-

tantem, & adoptati matrem; quia inter eos Cognationem Legalem contrahi, & conjugium dirimi, nullo Jure cautum reperitur. S. Thom. in 4. dist. 42. q. 1. art. 3. ad 1. D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 13. Sylv. V. Matrimonium 8. q. 8. dict. 2. Navar. Man. c. 22. n. 45. Sanch. D. 63. cit. n. 26. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 7. n. 3. Barb. in. c. un. b. tit. n. 4. Vallent. hic n. 3. v. ceterum, Pirhing, n. 9. Schambog, n. 8. König n. 5. dict. 1. Wiestner n. 13.

2. Inter adoptantem, & filia adoptivæ filiam; quia ista non est in potestate Matris, & conf. etiam non transit in potestatem adoptantis S. fœmine 10. Inst. de Adoption. neque ab isto censetur adoptata arg. l. si Paterfamilias 15. ff. eod. Angel. V. Matrimonium 3. Imped. 8. n. 5. Rosell. V. Impedimentum, Imped. 7. n. 5. Sylv. dict. 5. Sanch. n. 35. Zoef. hic n. 4. Pirhing n. 9. cit. Wiestner n. 14.

3. Inter adoptantem, & filiam illegitimam filij adoptivi; quia hæc non est in potestate adoptantis S. si adversus 12. Inst. de Nupt. Sanch. n. 36. Wiestner n. 14. Reiffenstuel n. 7.

4. Inter filium illegitimum adoptantis, & filiam adoptivam ejusdem adoptantis, & vicissim ex eodem §. & ratione Navar. n. 45. cit. Sanch. n. 30. Conink D. 32. n. 44. Laym. n. 7. Canif. n. 3. fin. Vallent. n. 4. Honor. n. 7. Schambog, n. 8. König n. 2. v. fraternitas, Wiestner n. 16. cum alijs supra.

5. Inter filium, & filiam duorum fratrum adoptivorum; quia isti nullo Cognationis vinculo inter se vincuntur. Alex. de Nevo in c. un. b. tit. n. 16. Sylv. dict. 2. Sanch. n. 29. Schambog, n. 11. Wiestner n. 17. & alij supra.

6. Denique inter duos adoptivos, seu qui adoptati sunt ab eodem parente: quia id nullo Jure est vetitum; nam c. un. b. tit. agitur de vera filia patris adoptantis, quæ per adoptionem incipit esse soror adoptiva filij adoptivi sui legitimi patris. Gloss. in c. un. cit. V. quamdiu, Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 5. fin. Henriq. l. 12. de Matr. c. 42. n. 3. fin. Sanch. n. 28. Dian. p. 4. tr. 4. resol. 121. Laym. n. 3. Zoef. n. 6. Engl. n. 5. v. inter, Reiffenstuel n. 8. cum alijs supra allegatis. Neque obstat, quod in eadem domo simul apud adoptantem manere debeant, & sic videatur esse eadem ratio, ob quam dirimitur Matrimonium inter filios naturales, & adoptivos adoptantis; quia, ut bene advertit Sanch. l. cit. Impedimenta ex sola rationis similitudine inducenda non sunt.

Quæritur 12. An Impedimentum Cognationis Legalis oriatur ex Unione pro-

lium, vulgò Kindschaft / oder Erb-Verbrüderung? 1. Quamvis hæc sit quædam Adoptionis species, ejusque solemnitates requirat, teste Gaill. l. 2. observ. 125. n. 6. §. 8. verius tamen ex ea non oritur Im-

pedimentum Cognationis Legalis, Engl *bic* n. 7. König n. 10. & alij communiter. *Ratio est*, quia non omnis adoptio causat Impedimentum, & talis unio non tam fit propter majorem conjunctionem personarum, quam potius bonorum, ut diverforum Matrimoniorum liberi æqualiter in bonis tam paternis, quam maternis succedant.

36 Et hinc si Viduus ducat Viduam & ambo jam prius ex alio Matrimonio habeant liberos, quos deinde per Matrimonium conjungant, non obstante hac conjunctione, adhuc inter eos Matrimonium esse poterit; cum enim hæc Unio prolium sit Jure scripto incognita, & tantum de consuetudine introducta, Leges nihil de ea consti-

tuerunt: sine textu autem expresso aliquod Impedimentum statuere planè inconveniens videtur. *Novell. 18. c. 5.*

Quæritur 13. Quis dispensare in Cognatione Legali possit? *¶* clarum est in hac dispensare posse Summum Pontificem, & quidem solum, cum sit impedimentum, Juris communis. In Linea recta, & in Affinitate Legali, teste König *bic* n. 12. dispensat difficillimè, & non nisi ex gravi causa. In Linea transversali Dispensatio rarè petitur, cum in promptu sit emancipatio, quâ Cognationis Legalis Impedimentum tollitur ita, ut adoptatus citra ullam Dispensationem cum filia carnali adoptantis Matrimonium inire possit, ut dictum est n. 27.

## TITULUS XIII.

De eo, qui cognovit Consanguineam Uxoris suæ, vel Sponsæ.

### S U M M A R I U M.

1. Affinitas contrahitur etiam per copulam illicitam.
2. Peccans cum consanguinea uxoris suæ privatur jure petendi debitum.
3. Et tam ipse, quam complex prohibetur à contrahendo Matrimonio cum alia quacunque persona.
4. Quod Impedimentum est tantum impediens.
5. Hujus effectus.
6. Prius Impedimentum adhuc viget.
7. Posterius probabiliter consuetudine defacto sublatum est.
8. Utrumque extenditur defacto duntaxat ad casum, quo incestus commissus est cum consanguinea uxoris in primo, vel secundo gradu.
9. Hujus ratio.
10. Qui peccat cum consanguinea Sponsæ in primo, & secundo gradu, nequit amplius contrahere Matrimonium cum Sponsa, & alijs in simili gradu conjunctis.
11. Et prohibetur nuptias inire cum alia quacunque.
12. Quod multo magis procedit in peccante cum Consanguinea Sponsæ de presenti.
13. 14. Impedimentum in Sponsalibus de futuro est temporale.

15. Perpetuum in Sponsalibus de presenti.
16. Quoad vim impediendi Matrimonium cum alia hodie exolevit.
17. Disparitas peccantis cum consanguinea uxoris, & peccantis cum Consanguinea Sponsæ de futuro.
18. Ut Impedimentum hoc inducatur, requiritur, ut incestus sit commissus; cum consanguinea uxoris, aut Sponsæ vera.
19. Et scienter.
20. Item ut incestus iste sit voluntarius.
21. Et consummatus.
22. Non autem est necesse, ut sit publicus, & notorius.
23. Velut incestuosus sciat, hoc Impedimentum esse à Jure statutum.
24. 25. 26. Idem Impedimentum incurrit uxor, vel Sponsa delinquens cum consanguineis mariti, vel Sponsi.
27. 28. 29. Peccans cum consanguinea propria Impedimentum hoc non incurrit.
30. Si agatur de Matrimonio contrahendo, etiam uni alleganti Impedimentum creditur.
31. Si de eo dissolvendo, plena probatione est opus.
32. 33. An ead opus sit etiam, quando agitur de Matrimonio contracto conservando?

Cognationem Spiritualem, & Legalem sequitur Cognatio Naturalis, quæ duplex est, Consanguinitas, & Affinitas; nam etiam Affinitas vulgari sermone venit Cognationis nomine, ut Gonzal. in c. fin. h. tit. n. 4. cum alijs ex Aristotele l. 2. Eth. c. 3. notat. Affinitas contrahi potest vel per copulam licitam, vel per illicitam. In quo Jus Canonicum recedit à Jure Civili; nam Jure Civili Cognatio, & Affinitas dicitur oriri solum ex justis nuptijs l. non facile 4. S. scien-

dum s. ff. de gradib. & affinit. At Jure Canonico tam Cognatio, quam Affinitas etiam oritur ex copula illicita, & fornicaria; neque illegitimè natus ducere potest familiam, per patrem, vel matrem suam, quamvis illegitima natiuitate, sibi conjunctam. Vel potius, ut vitetur Juris Canonici à Civili divortium, textus l. cit. intelligendus est, non de Cognatione à natura introducta; nam ex hac illegitimus revera etiam filius, vel frater, aut cognatus est toto Tit. ff. & C. de